

*Practicae Professor publicus in celeberrima Ienen-
sium Academia, postea vero Illustrissimo, ac Cel-
sissimo Principi ac Domino, DN. VVILHELMO,
Saxoniae Duci & Domino nostro Clementissimo, &
Concionibus Aulicis &c., nouus Gymnasii Ephorus,
cuius laboribus Deus optimus Maximus ex alto
benedicat! Fiat! Eiusque opera interueniente Gy-
mnasio agonizanti clementissime succurrat! Fiat!
Fiat!*

*In Gymnasii praelectionibus Locos explicauit Theolo-
gicos & Augustanam Confessionem, ex qua etiam
Disputationes publicas instituisse perhibetur in Ma-
tricula. In manibus meis quatuor sunt Disputa-
tiones Praetorii in Theoremata Philosophico-Theo-
logica, in Gymnasio, & Respondentibus Alumnis,
A. 1637. & A. 1638. ventilatae, typisque exscriptae
publicis, in 8.*

*Praeter Disputationes autem, citatas haecenus, &
Conciones quasdam funebres, ex VVittenii Diario,
& Catalogo Bibliothecae Bodleianae Th. Hyde,
sequentes in notitiam peruenerunt Foetus Praeto-
riani:*

1. *Theatrum Ethicum, ex Praeceptis & Cano-
nibus constructum, Ienae A. 1626. 8.*
2. *Theatrum Politicum.*
3. *Canonum Metaphysicorum Pars Generalis, Ienae
1626. 8.*
4. *Philosophia Practica.*
5. *Disp. Metaphysica de Vniuersali, Ienae A.
1627.*
6. *Exer.*